

Liceo classico statale 'M. D'Azeglio', Torino

A.S. 2020/21

COMPITI DI TRADUZIONE PER LE VACANZE ESTIVE

Classi Quinte ginnasio

LINGUA E CULTURA LATINA

SOCRATE: SEGNI DA UN ALTRO MONDO (O DA QUESTO?)

I

Il δαιμόνιον socratico non ordina mai, ma vieta solamente di compiere un'azione. Tuttavia, quando Senofonte lo interroga, Socrate suggerisce di rivolgersi ad Apollo; prassi consueta anche per lo stato ateniese, del resto.

Hoc nimirum est illud quod de Socrate accepimus, quodque ab ipso in libris Socraticorum saepe dicitur: esse divinum quiddam, quod Graece δαιμόνιον appellat, cui semper ipse paruerit numquam impellenti, saepe revocanti. Et Socrates quidem (quo quem auctorem meliorem quaerimus?) Xenophonti consulenti sequereturne Cyrum, posteaquam exposuit quae ipsi videbantur: «Meum quidem» inquit «humanum est consilium; sed de rebus et obscuris et incertis ad Apollinem censeo referendum esse»; nam ad eum etiam Athenienses publice de maioribus rebus semper rettulerunt.

CICERONE

II

Il δαιμόνιον ammonisce e distoglie da azioni inappropriate. Un aneddoto socratico, risalente al conflitto tebano, illustra la questione.

Scriptum est item, cum Critonis, sui familiaris, oculum alligatum vidisset, quaesivisse, quid esset; cum autem ille respondisset in agro, ambulanti ramulum adductum, ut remissus esset, in oculum suum recidisse, tum Socrates: «Non enim parvisti mihi revocanti, cum uterer, qua soleo, praesagitione divina.» Idem etiam Socrates, cum apud Delium male pugnatum esset Lachete praetore fugeretque cum ipso Lachete, ut ventum est in trivium, eadem via, qua ceteri, fugere noluit. Quibus quaerentibus, cur non eadem via pergeret, deterreri se a deo dixit; cum quidem ei, qui alia via fugerant, in hostium equitatum inciderunt.

CICERONE

III

Socrate è condannato a morte in maniera affatto ingiusta; eppure egli non riceve segni contrari dal δαίμονιον, e si lascia uccidere.

Permulta collecta sunt ab Antipatro quae mirabiliter a Socrate divinata sunt, quae praetermittam. Illud tamen eius philosophi magnificum ac paene divinum, quod, cum impiis sententiis damnatus esset, aequissimo animo se dixit mori; neque enim domo egredienti, neque illud suggestum, in quo causam dixerat, ascendenti, signum sibi ullum, quod consuevisset, a deo quasi mali alicuius impendentis datum.

CICERONE

HUMANITAS, PARTE I

IV

Che vuol dire, in effetti, humanitas? È essa un atteggiamento, un modo di intendere gli uomini che ci circondano, o è altro ancora, cioè una forma di cultura e dunque un modo, in primis, di intendere noi stessi?

Qui verba Latina fecerunt quique his probe usi sunt “humanitatem” non id esse voluerunt quod vulgus existimat quodque a Graecis φιλανθρωπία dicitur et significat dexteritatem quandam benivolentiamque erga omnes homines promiscam; sed “humanitatem” appellaverunt id propemodum quod Graeci παιδείαν vocant, nos “eruditionem institutionemque in bonas artes” dicimus. Quas qui sinceriter percipiunt adpetuntque, hi sunt maxime humanissimi. Huius enim scientiae cura et disciplina ex universis animantibus uni homini data est idcircoque “humanitas” appellata est.

AULO GELLIO

HUMANITAS, PARTE II

V

Essa è, secondo l'autore, una forma di interpretazione del reale tipica dell'uomo, nella misura in cui esso si distingue dagli animali: un modo di pensare il reale, oltre che se stessi, attraverso la cultura, tramite l'esperienza di un pensiero millenario.

Sic igitur eo verbo veteres esse usos, et cum primis Marcum Tullium Ciceronem, omnes ferme libri declarant. Quamobrem satis habui unum interim exemplum promere. Itaque verba posui Varronis e libro primo *Rerum Humanarum*, cuius principium hoc est: «Praxiteles, qui propter artificium egregium nemini est paulum modo humaniori ignotus.» «Humaniori» inquit non ita ut vulgo dicitur, «facili et tractabili et benivolo», tametsi rudis litterarum sit, hoc enim cum sententia nequaquam convenit, sed «eruditiori doctiorique» qui Praxitelem, quid fuerit, et ex libris et ex historia cognoverit.

AULO GELLIO

UN ESERCITO INVINCIBILE, PARTE I: LA SELEZIONE DEI SOLDATI.

VI

È l'addestramento a fare la differenza: non i più vigorosi, non i più robusti, non i più audaci, ma i soldati meglio addestrati e più professionali. Ecco l'esercito romano.

Nulla enim alia re videmus populum Romanum orbem subegisse terrarum nisi armorum exercitio, disciplina castrorum usuque militiae. Quid enim adversus Gallorum multitudinem paucitas Romana valisset? Quid adversus Germanorum proceritatem brevitatis potuisset audere? Hispanos quidem non tantum numero sed et viribus corporum nostris praestitisse manifestum est; Afrorum dolis atque divitiis semper impares fuimus; Graecorum artibus prudentiaque nos vinci nemo dubitavit. Sed adversus omnia profuit tironem sollerter eligere, ius, ut ita dixerim, armorum docere, cotidiano exercitio roborare,

quaecumque evenire in acie atque proeliis possunt, omnia in campestri meditatione praenoscerent, severe in desides vindicare. Scientia enim rei bellicae dimicandi nutrit audaciam: nemo facere metuit quod se bene didicisse confidit. Etenim in certamine bellorum exercitata paucitas ad victoriam promptior est, rudis et indocta multitudo exposita semper ad caedem.

VEGEZIO

UN ESERCITO INVINCIBILE, PARTE II: NIENTE RAMMOLLITI.

VII

I migliori soldati? La gente di campagna, alla Cincinnato, perché il passaggio dalla zappa al gladio è breve; inoltre, chi ha conosciuto meno mollezza è anche meno spaventato dalla morte...

Nec infitiandum est post urbem conditam Romanos ex ciuitate profectos semper ad bellum; sed tunc nullis deliciis frangebantur, (sudorem cursu et campestri exercitio collectum iuventus natans abluabat in Tiberi) idem bellator, idem agricola, genera tantum mutabat armorum; quod usque adeo verum est, ut aranti Quintio Cincinnato dictaturam constet oblatam. Ex agris ergo supplendum robur praecipue videtur exercitus; nescio quomodo enim minus mortem timet qui minus deliciarum novit in vita.

VEGEZIO

UN ESERCITO INVINCIBILE, PARTE III: L'ALTEZZA NON SERVE.

VIII

«È più utile essere soldati valorosi che di alta statura»: fare la guerra è un dato interiore e culturale prima che fisico. L'altezza, a ben guardare, conta meno dell'animo. Molto meno.

Sit ergo adulescens Martio operi deputandus vigilantibus oculis, erecta cervice, lato pectore, umeris musculosis, valentibus brachiis, digitis longioribus, ventre modicus, exilior clunibus, suris et pedibus non superflua carne distentis sed nervorum duritia collectis. Cum haec in tirone signa deprehenderis, proceritatem non magno opere desideres. Utilius est enim fortes milites esse quam grandes.

VEGEZIO

UN ESERCITO INVINCIBILE, PARTE IV: L'ADDESTRAMENTO FA LA DIFFERENZA.

IX

Si è sempre reclute: perché alla base di ogni cosa non vi è il fatto emotivo, ma la capacità di controllare, e controllarsi, razionalmente. Dunque il dato fondante di ogni miles è l'autocontrollo: anche nella confusione della battaglia, soprattutto nella confusione della battaglia.

Legionis ordinatione digesta ad exercitium revertimur, unde, sicut iam dictum est, exercitus nomen accepit. Iuniores quidem et novi milites mane ac post meridiem ad omne genus exercebantur armorum. Veteres autem et eruditi sine intermissione semel in die exercebantur armis. Neque enim longitudo aetatis aut annorum numerus artem bellicam tradit, sed, post quanta volueris stipendia, inexercitatus miles semper est tiro. Armaturam, quae festis diebus exhibetur in circo, non tantum armaturae, qui sub campidoctore sunt, sed omnes aequaliter contubernales cotidiana meditatione discebant. Nam et velocitas usu ipso acquiritur corporis et scientia feriendi hostem seque protegendi, praesertim si gladiis comminus dimicetur; illud vero maius est, quod servare ordines discunt et vexillum suum in tantis permixtionibus in ipsa prolusione comitantur nec inter doctos aliquis error existit, cum multitudinis sit tanta confusio.

VEGEZIO